



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

§. 62. Paterna Clementis Papæ sollicitudo pro reparandis damnis ditioni Pontificiæ illatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Pontifici magis acceptus, magisque pa- Sæc. XVIII.
 catus nominaretur: Insuper Altovitius A. C. 1736.
 Præsul, qui ut Ludovico Cardinali Hi-
 spani Regis Filio rubrum Biretum Mad-
 ritum delaturus jamjam sese itineri ac-
 cinxerat, Romæ subsistere a Papa jus-
 sus est.

§. LXII.

*Paterna Clementis sollicitudo pro re-
 parandis damnis ditioni Pon-
 tificiæ illatis.*

Per assiduas Hispani, Austriacique
 exercitus exactiones, transitus,
 stativa, cursus & recursus tam gravia
 ditioni Pontificiæ, ejusque subditis
 damna fuere illata, ut Clemens quam-
 vis Ferrariæ Bononiæ ac Ravennæ le-
 gationes & status ingenti pecunia sæpius
 sublevare conatus fuerit, nihilominus
 tamen cum ei innotuisset, quod æs
 alienum contrahere, & cives iniquis
 etiam conditionibus usuras accipere
 compulsi fuerint, insuper etiam ma-
 xima rei frumentariæ inopia, & inso-
 lita olei caritas accessisset, hinc anxiis
 curis agitabatur, qua demum ratione
 publicis & privatis subditorum miseriis
 potenter subvenire posset. Tota rei
 difficultas in eo erat, quod Pontificium

X 5

æra-

Sæc. XVIII. ærarium omnino egens, & pene ex
 A. C. 1736. haustum, ac illa Urbis Romanæ Ar-
 gentaria Mensa, quæ a Spiritu S. no-
 men habet, in decoctionis discrimen
 esset redacta: Nec minoribus angustiis
 premebatur vicinum Nosocomium,
 quod, si grandem pecuniarum vim,
 quam ejusdem Argentariæ nomine de-
 bebat, solvere cogeretur, vix quic-
 quam de amplissimis ejusdem bonis pro-
 alendis pauperibus & infirmis conser-
 vari potuisset; quot annis enim sex-
 aginta aureorum millia super centum
 expensa ferebantur. Tam gravi ne-
 cessitati, ut mederetur Clemens, Car-
 dinali Leandro de Portia negotium do-
 dit, ut etiam atque etiam ponderaret,
 quæ maxime præfati Nosocomii, ad-
 jectæque Argentariæ rationibus con-
 ducerent. Hic ergo juncta opera Præ-
 sulum Marij, Mellinij & Joannis Bapti-
 stæ Mesmeri, quos hujus muneris so-
 cios ac Consortes sibi selegit, toto ani-
 mo in exequendum Pontificis manda-
 tum incubuit, & permulta quidem
 hanc in rem utilissima decrevit, quæ
 omnia auctoritate sua comprobavit Pon-
 tifex, qui insuper illud quoque saluberrimum
 attulit remedium, cum enim
 sortium ludum, vulgo *Lotto* in singu-
 los annos pro octoginta aureorum mil-
 libus elocasset, hunc censum Nosoco-
 mio

mio adscriptis, ita tamen, ut ex eo Sæc. XVIII.
 tertia pars demeretur, qua sensim sol- A. C. 1736.
 veretur, quod ex ædificiis ad Urbis
 ornatum a Papa erectis solvendum su-
 peresset. Præterea statuit, ut S. Petri,
 ut vocant, Fabrica ex repositis suis pe-
 cuniis centum & viginti aureorum mil-
 lia eidem Nosocomio suppeditaret.

§. LXIII.

*Clemens Pontifex nova molestia
 affectus.*

Vix Pontifex a gravibus hisce curis
 respirare cœperat, cum identidem
 in novas easque sat periculosas conii-
 ceretur angustias: Res ita contigit:
 Die undecima Februarii Donghius Cæ-
 sarei exercitus supremus Vigiliarum
 Magister ad plateam, quæ a *cursu* no-
 men fortitur, vectus equestri decursio-
 ne oculos suos pascere cogitabat; cum
 autem curru suo præcedentium rheda-
 rum ordinem insequeretur, & ad S.
 Marci forum delatus ad alteram plateæ
 partem currum suum insisteret, ac-
 cidit, ut Fiscalis Pontificii Filius cum
 rheda sua sese intrudere, & Donghii
 currum antecedere pararet: id cum
 hic permittere nollet, Sbirrorum Præ-
 fectus ejus aurigæ præcepit, ut Fisca-
 li